



**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
proprietarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Capvt Primvm. Ex Concilio (a) Maguntino.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](#)

(1) : I : (2)

D.D. EMANUELIS
GONZALEZ
TELLEZ
COMMENTARIA
IN LIBRVM TERTIVM
DECRETALIVM
GREGORII IX.

TITULUS PRIMUS.

De vita, & honestate Clericorum.

CAPVT PRIMVM.

Ex Concilio (a) Maguntino.

VT Laici secus (b) altare quando sacra (c) mysteria celebrantur, sta-
re, vel sedere inter clericos non præsumant; sed pars illa, quæ (d)
cancellis ab altari dividitur, tantum (e) prostantibus pateat clericis;
ad (f) orandum verò, & communicandum laicis, & foeminiis (sicut
mos est) pateant sancta (g) sanctorum.

NOTÆ.

(a) **M**aguntino] In prima collectione, *sub hoc
tit.*, cap. 1. tribuitur textus hic Concilio
Africano; à Decretis vero, Ivone Carnot, p. 2.
Decret., cap. 127. Butchardo lib. 3. Decret.,
cap. 102, citatur ex Concilio Maguntino; sed
cum in Conciliis excusis à Surio non reperiatur,
Patz in repet. ad textum in cap. Missas, de consecr.
diffinit., 1. num. 49. Cenedus ad Decret. collect. 45.
num. 1. Barbola in praesenti, num. 1. & Garanna, 3.
existimamus verba hujus textus esse Concil. Tu-
ronensis 2. in cuius canone 4. leguntur similia
verba. Sed licet in quatuor Conciliis Magunti-
nis editis à Surio, & Binio non reperiantur verba
in praesenti à Raymundo compilata, credo ta-
men esse aliquius Concilii Maguntini ex jam
D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars I.

excusis, temporumque iniuriâ omissa, vel ne-
glecta fuisse verba hujus textus, vel in eis referri
canonem Concilii Moguntini longè celeberrimi,
quod anno Christi 846. celebratum fuit, ubi
plura ad decorum ecclesiastici ordinis statuta
fuerunt, teste Abate Trithemio in chronico mo-
nasterii Hirsaugiensis, quod hactenus editum non
esse, nec ad Surii manus pervenisse, ipse con-
queritur tom. 3. Concil. pag. 428. Iuvatur hæc
conjectura, cum ex eo, quia à veteribus Decre-
tis tribuitur textus hic Concil. Mogunt. tum
quia inter capitularia Caroli, cuius tempore
priora Concilia Moguntina edita fuerunt, re-
peritur hic textus lib. 7. cap. 203. in hæc verba:
*Ut laici secus altare, in quo sancta mysteria celebran-
tur, intra clericos, tam ad vigilias, quam ad Mis-
sas stare penitus non præsumant; sed pars illa, qua-*

A

à can-

In Librum III. Decretalium,

a cancellis versus altare dividitur, choris tantum psallentium pateat clericorum: ad orandum viri, & communicandum, laici, & feminis, sicut mos est, pateant sancta sanctorum.

(b) Aliare.] Quia plerunque in una Ecclesia olim plura altaria erigebantur, ut probat Barnius tom. I. anno 57. Unde tredecim in una Ecclesia altaria ereta fuisse, refert Divus Gregorius lib. 10. in dist. 14. epist. 5. ideo PP. Concil. Mogunt. ut faciliter exprimerent de quo altari agebant, adiecserunt ea verba: *in quo sacra mysteria.*

(c) Sacra mysteria.] In Concil. Turon. 2. can. 4. & Capitul. Caroli additur, tam ad Vigiliis, quam ad Missis; & recte, ut explicetur quid per sacra mysteria PP. intellexerit. De vigiliis, & quomodo primis Ecclesiæ laicis in Ecclesia tenerentur, tam à clericis, quam laici, plura congesi in cap. 36. Concil. Illyber.

(d) Cancelli.] Cancelli non solum dividebantur vestibula ædium, l. cetera 41. §. sed si cancelli, ff. de legat. 1. nunc est 9. §. statim, ff. quod viae clam. cap. Guillifarius 30. 23. quæst. 4. 1. 3. C. de officio diversi. judic. 1. 1. C. de officio. Rector. provinc. in Theodos. ex D. Idorio, Tacto, & Marcellino probat Savarus ad Sidonium lib. 1. epist. 2. ibi: Ecclesia velis, inclusa cancellis; vetum & facta eedes Ecclesia. Germanus Episcopus CP. histor. Eccles. pag. 148. ibi: Cancelli locum orationi designant quodque extrinsecus populus accedit; intrinsecus autem sunt sancta sanctorum solis Sacer dotibus per via. Refert Frideric. Lindembrog. in glossar. verbo Cancelli illustrat Leo Alacius de templo Grec. epist. 1. ibi num. xi. docet, locum illum cancellis inclusum sacratum esse, ac venetandum, clericis tantum permisum; viris secularibus raro, feminis nunquam penetrabilem. Quod & probatur ex cap. non oportet 26. cap. non oportet 30. dist. 23. & latè probant Landmeter. lib. 2. de veteri cleri. mon. cap. 6. & 40. Gibalin. de classif. disposit. 1. cap. 1. §. 3. num. 9. Montio etiam cancellorum extat in Synodo Chalcedoni. & Eusebius lib. 19. his. Eccles. cap. 4. loquens de structura Basiliæ Tyri à Paulino Tyrorum Episcopo dedicata, ait: *Locus sanctuariorum in specie quadratam columnis sublimis est, undecunque circumscriptus, quadratum media intervallo interstitiis ligno instar reis aut transennæ cancellatis, in mediocrem & aquabiliem longitudinem porrectis circunclusa.*

(e) Psallentibus.] De quibus infra agemus cap. 3. & in cap. 1. de celebrat. Missar.

(f) Ad orandum viri & communicandum.] Hæc verba difficillima sunt, & miror omnes repetentes intacta prætermissem; nam si in principio hujus textus inhibetur laicos intra cancellos stare, quomodo hic primitur ad orandum sancta sanctorum ingredi? Siquidem fideles laici semper orationis causa in Ecclesia convenient, Igitur si ad orandum possunt ingredi sancta sanctorum, nullus est casus in quo clerici intra cancellos, laici extra consistant. Deinde difficultus est quod conceditus laicos lequenti verbo, ad communicandum; ubi docetur, fideles laicos ad communicandum posse accedere ad sancta sanctorum; cum notum sit, tam ex veteribus, quam recentioribus Ecclesiæ canonibus, clericos intra chorum, laicos extra cōmunicare debere. Synodus Laodic. can. 19. ibi: *Solis autem ministris altaris licet ingredi ad altare, & ibidem communicare.* Concil. Tolet. 4. can. 18. *Sacerdotes, & Levites ante altare communicent in choro, ex-*

tra chororum populus. Concil. Brachat. I. can. 12. item placuit, ut intra sanctuariorum altaris ingredi ad communicandum non licet laici viris, vel mulieribus, nisi canum clericis, sicut & antiquis canonibus statutum est; ubi notarunt Loayla, & Coriolanus: unde redigi clericum, & damnari ad communionem laicam, nonnulli existimarent esse, clericos communicare cum laicis extra cancellos, ut notari incap. 2. de elect. Igitur non recte, & minus consequenter Patres Concil. Mogunt. dum in principio hujus textus prohibent laicos stare, aut sedere cum clericis intra cancellos, illis permittunt in finis ad orandum, & communicandum sancta sanctorum ingredi.

Quam difficultatem sicut nullus agnoscit, ita nullus dissolvit; ut autem illi satisfaciamus, & verum sensum praesentis canonis reddamus, sciendum est, apud veteres Decretales, Carnotensem, & Burchardum ubi proxime, legi canonem hunc ita: *Ad orandum, & communicandum, in hac autem collectione, & in prima habetur ad orandum, errore tato ex more antiquiorum notissimo, non geminandi eandem litteram seu dictiōnem, non modò in Pandectis Florentini, sed alii bona nota Auctoribus; hinc illud Virgilii Enicidos 7. Menni Abella, ex quo faciunt postea; mania Belle, ut habent editiones quædam, pro mania Abella. Sic etiam in praesenti scriptum fuit, ad orandum, pro ad orandum, ut notavit Fabritius in præfensi, quod mendī genus ex eo irepedit in libris antiquis, quia veteres non geminabant litteram, sed scilicet supra poterant, ut eā notā lector admoveretur, duplicandam esse litteram; cuius rei ignoratio vita quæplurima in Pandectis referuntur. Similis mendī vestigia plura extant in Pandectis Florent. litteræ geminande, ut in l. librorum 52. §. pen. ff. de legat. 3. ibi: *Dacilis ibica meanam, pro Daciōthecam meanam: & in l. §. duobus, pr. ff. de diversi. & tempor. pro illis verbis: Si aubus eandem rem separatis vendiderint, ea possessio; legendum est, vendediderint, mea possessio, teste Cuiacio lib. 5. obs. cap. ult. &c in l. inter 38. ff. de donat. caus. mort. pro illis verbis: Quod praesentis dæ mortis causa capi intelliguntur; legendum est; at mortis causa capi intelliguntur; & in l. in testamento 27. ff. de condit. & demonstr. pro. Non tum esset; repontendum est, non notum esset; in novelli Majorani illa verba: Ut parum aliud reparetur, magna diripiuntur; legenda esse, ut parum aliud reparetur, notavit Radulf. Fornerius lib. 2. rer. quæst. cap. 1. qui cum geminatione, seu repetitione litteræ 3; exponit textus in l. testamento 51. ff. de manuip. testam. l. ff. 15. ff. de auro & argento. & in l. 24. ff. de servis. urban. pro ius est repontit eius est: & in rubric. C. de receptis arbitris, probat legendum esse arbitris. Dictiōnis geminanda vestigia extant in l. 2. ff. de stipul. serv. ubi legitur: *Servus communis ipse sibi; cum legendum sit, ipse se sibi stipulari non potest: & in l. sed ades 19. §. si in quilibet 5. ff. locati, legitur: Aream eratam; sibi legendum sit, aream cameratam: & in l. 3. C. de bared. inst. pro illis verbis: Post mortem antem testatoris Julianum; legi debet, testatoris si Julianum, & in l. 1. ff. de milit. testam. ibi: *Pascant igitur testamenta quomodo volent; pro quoquo modo volent: & in leg. sed lucet 12. ff. de officio. Praesid. pro: Non tamen pessimum est; repone,****

7016

nontamen tam spectandum est : &c in l. divortio 7. §. si vir, ff. solus. matrim. ubi legitur : Marmor quodcessum, nec portatum est maritis; lege, exportatum est mariti : & in l. sed § 11. §. ult. ff. de iure, ubi legitur : Tuque capissis petere a me ; respondunt et, petere eam a me : & plura sa- cra paginae loca ita leviter restituit Theophilus tom. II. tract. I. in minutiaria sacra. Proseguitur alia Fornerius d. lib. 2. cap. 2. Sic ergo non vio- lenter legitimus in praesenti ad orandum, pro, ad adorandum; ut etiam Antonius Augustinus lib. 4. emendat. cap. 8. quem sequuntur Gothof. ibi, & Iranz. de prot. confider. 82. num. 2. Altum etiam hellenisticum agnovit idem Antonius Augustinus in eadem lege proberede 20. §. final. de acq. vel om. ber, in illis verbis: Hec enim actio pœnam, & vindictam, quam rei persecutionem continet; id est, po- nus quām. Nec necesse fui prædictum verbum ad- jicere in vulgata libris. Per contrarium contrariā elegantiā lareconfultos nonnunquam usos cerno; nam in l. 1. §. 1. ff. de superficie sicut scribit Ulpianus: Quia melius est possidere potius quam in perso- nam experiri; ubi alii expungētēne verbum po- tius. Sic & Paulus in l. in fraudem 45. §. ejus 2. de iure fisci, ita scripsit: Eius bona, qui sibi mor- tem concivit, non ante ad fisum coguntur, quam prius confiserit, cuius criminis gratia manus sibi in- sinuerit; ubi expungēre posset, etiam qui elegan- tie lareconfultorum expers est, verbum prius. Etiam in l. si plures 6. §. si arbor, 2. ff. arbo- rum sursum celarum, legitur ejus, pro rībus, ut notavit ibi Gothofredus; habuit tamen notam suppresso nomine à Brissone lib. singul parerg- in fine, ubi alios textus, aliaque exempla addu- cit. Ex eodem etiam prisco scribendi genere, coalescentibus in unum extremis dictiōnum antecedentium, & primis sequentium syllabis, unum plerunque verbum duorum vice fungebā- tur. Emendat textum in l. 2. §. 1. ff. derebus cred. Gothofredus in opere, tract. de functione in mauro, qui pro illis, quam specie, reponit, egnam specie; in quo textu etiam ex hellenistico supplent dictiōnem, potius, Gothofredus ibi, Ramirez de Prado in pentecont. cap. 30. etiam alios hel- lenismos reperio in l. pro herede 20. ff. de ac- quir. heredit. ubi in illis verbis: Non esse facti, quam animi; hellenistici figurā per quām, vox tam, omissa suppletur: agnovit Antonius Au- gustinus lib. 4 emend. cap. 8. quem sequuntur Gothofredus ibi, & Iranzo de prot. confid. 82. num. 2.

Deinde obseruantur etiam Ecclesiæ la- ecclis., ad similitudinem veli, quod in templo Hierolymitanum positum erat ad segregandum populum a Sacerdotibus, ut, refert D. Hieronymus epist. 150. quod scilicet fuit in duas partes horā quā Dominus noster Patri suo spiritum tradidit, ut refert Baronius tom. I. anno 34. fuisse etiam in Ecclesiæ velum appensum ad cancelllos sacrarū, seu chorū, ubi erant clerici. Sanctus Dionylius in epist. ad Demophilum, ibi: Procedentes que benevolē ad ea loca, quae sunt extra veladivina, P. Blensis ferm. II. in Quadrag. ibi: Interponitur velum inter pfallentes, & populum, alterius qui- dem & gratiā significatiōis, sed ad hoc tamen, ut laeviorum tollat oculorum. Divus Gregorius lib. 3. epist. 30. ad Constantiam, & in Sacrament. ibi: Deinde pergunt ad altare, ubi condemnanda sunt, & ex iure velo inter eos & populum, &c. Illustrant Menardus ibi, & Coriolanus in dicto can. 13. Con- D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars I.

cil. Brachar. Volum hoc ab ea parte Missæ cū lectis Epistola, & Evangelii clamat Sacerdos, oremus, trahatur, ut populo ad adorandum & postea communicandum paterent sancta sanctorum. D. Joannes Chrysoft. serm. 3. in epist. ad Ephesios, ibi: Cum audieris, Oremus, communiter & vela trahi videris. Et homilia 61. ad popu- lum: Cum vela videris retrahi, tunc supernum col- lum aperiri cogita, & Angelos descendere. Unde apparet, ni fallor, verus sensus praesentis cano- nis. Prohibent in eo Patres, ne laici secus altare, dum facta mysteria celebrantur, intra cancellos cum clericis pfallentibus stare, aut sedere au- deant; ad adorandum vero Corpus Domini, & communicandum sinunt, ut referato velo pa- teat sancta sanctorum: non ajunt Patres, ad adorandum, & communicandum laici ingre- diantur intra sancta sanctorum, quod jam pro- hibitum erat; sed ut illis ad adorandum, & co- municandum pateant sancta sanctorum, id est, re- ferato velo, quod erat inter chorū, & po- pulum, sancta sanctorum patefant; non vero qui ad communicandum ingrederentur intra cancellos, sed extra corpus Domini sumebant. Patebant ergo sancta sanctorum lacis non eō accessuris, sed ea conspecturis, ut praesentit Landmeter. lib 2 de veteri mon. cap. 40.

(g) *Sancta sanctorum.*] Formam veterum Eccle- siarum similem fuisse templo Salomonico, pro- barunt Landmeter. lib. 2. de veteri mon. cap. 59. pertot. Germonius lib. 3. de sacr. immunit. cap. 5. num 21. Unde sicut pars illa sacratori, ubi Arca foederis servabatur, dicebatur sancta sanctorum, Exodi cap. 25. & 27. ubi Pontifex tantum ingrediebatur semel dumtaxat in anno, die videlicet expiationis, Levit. cap. 16. D. Paulus ad Hebreos cap. 9 ex Beda, Abulensi, & aliis probant Spondanus in annal. sacr. anno mundi 2544. numer. 62. Cochier in face hist. lib. 1. cap. 32. ita pars illa Ecclesiæ apud Christianos sanctior, sacratoriisque dicta fuit sancta sanctorum. Eusebius in Cantica: post sancta sanctorum non erat interior locus, quia loca illa maxi- mè sancta erant; & ut Cantica canticorum dicuntur, que sunt præstantissima cantica; sic Dominus dicitur Sanctus sanctorum in cap. 9. Danielis: notarunt Gujacius, & Fabrotus in presenti, Leo Alacius epist. 1. de temp. Grec. ubi veterem, & novam templorum formam tradit.

COMMENTARIUM.

Ex hoc canone talis deducitur à repetentibus assertio: Laci intra cancellos cum clericis sedere traditur, & non debent, aut stare. Probant eam textus in c. nulli, probatus cap. pervenit, sacerdotum, de consecr. dict. 2. D. Cle- mens lib. 2. confit. cap. 57. Ut laci in altera parte decenter, & quiete sedent. Synodus Laodic. c. 19. ibi: Solis ministerio sacro deditis ad altare ingredi, & communicare ibidem licet. Et can. 44. ibi: Non oportet mulieres ingredi ad altare Bracharen. 1. in dicto can. 13. Tolet. 4. can. 17. Sacerdotes, & Levi- te ante altare communicens; in choro Clerci, extra chorū populus Concil. Trul. can. 69. Nemini laico licet intra sacrum altare ingredi. Nannente can. 3. Hoc secundum autoritatem canonum mo- dis omnibus prohibendum, ut nulla famina ad alta- represumat accedere, aut presbytero ministra- re, aut infra cancellos stare, aut sedere. Patisiente

A 2 sub

In Librum III. Decretalium,

sub Lethario can. 45. Theodulf. ad presbyt. Aurel. s. 6. Heraldus Episc. Turon. in suis capit. cap. 82. ibi: Ut laici infra cancellos non stent. Agathense cap. 66. Turon. 2. cap. 3. Synodus 6. in Trul. can. 69. Coloniensis 3. can. 31. Antiquissimis canonibus in plerisque etiam Concilii sancitum est; ne laici secus altare inter clericos ministrarent, neve laicentiam habeant ingrediendi in sacrarium. In canonibus editis sub Edgaro Rege Angliae, num. 44. legitur: Docemus etiam, ut altari mulier non approxinet, dum Missa celebratur. In Capitulo Caroli lib. 7. cap. 29. legitur: Nolla famina ad altare presumat accedere, vel intrare cancellos stare, vel sedere. De Pontifice Bonifacio II. refert Polonus in ejus vita: Hic constituit, senatus constitutum innovavit, ut clerici sint à laicis separati in celebrazione Missarum. Illustrant ultra congettus in praesenti à Barbola, & Garanna, idem Barbola lib. 1. iuris eccl. cap. 38. num. 16. Nicolaus Lemaitre in confutatione Sorbon. 1. p. cap. 2. & lib. 1. de monachis, cap. final. in princip. Frias de cæremon. baptism. cap. 4. in fine, Cironius ad rit. de bapti. Claudio Espenceus lib. 1. de adoration. Eucharistie, cap. 13. Herrera lib. 1. del officio divino, epst. 10. & 11. Suarez de sacram. quest. 83. dist. 81. fecht. 8. art. 3. Coriolanus in chron. anno 93. Vicecomes de Missarib[us] volum. 3. lib. 2. cap. 33. Fornerius lib. 3. select. c. 17. Antonius Augustinus in epst. iuri. lib. 13. tit. 13. Petrus Gregor. lib. 2. Synag. cap. 2. num. 10. & lib. 1. partit. tit. 21. cap. 4. & lib. 7. de Republica, cap. 11. num. 29. Landmeter. lib. 2. de uicerimon. cap. 6. Crespetius in samma, verba Laicis. Loayfa & Corjol. in can. 13. Concil. Brach. 1. Balfamon & Zonaras in d. can. 69. Synodi 6. in Trul. Fabrotus & Cujacius in praesenti, Boetius Epon. p. 1. q. heroic. adhunc texatum, Buleng. ad Casonbon. diatrib. 3. cap. 43. fol. 110. Frances de Eccles. Cathedr. c. 5. Alteferra de Uscibus c. 17. Theophilus Raynaud. tom. 12. de sobria frequent. mulier. fol. 293. & tom. 15. in beteroc. spirit. p. 1. punct. 4. fol. 129. Franc. Florens in presenti.

9. *impugnat prædicta assertio.* Sed pro dubitandi ratione in præsentem assertiōnem ita insurgo: Vix aliquam inter clerum, & populum olim fuisse differentiam, præter offrendi auctoritatem, constat ex Tertulliano de Monog. cap. 11. ibi: Cum extollimus, & inflamur adversus clerum, tunc unum omnes sumus, tunc omnes sacerdotes, quia sacerdotes nos Deo, & Patri fecerunt. Quare plerunque ab Apostolis, & sanctis Patribus laici ipsi, sacerdotes dicuntur & clericci. D. Petrus epst. ult. vers. 3. Neque ut dominantes in clericis; idest, populo Christiano. D. Augustinus de civit. Dei lib. 20. cap. 10. Sicut omnes Christianos proper myticum Chorsma; sic omnes sacerdotes, quoniam sunt membra unius sacerdotis. D. Hieron. adverbia Luciferianos, ibi: Deponant sacerdotium laici, & ego veniam paenitenti: scriptum est enim: Regnum quippe nos & sacerdotes Deo Patri suo fecit. Sanctus Leo serm. 3. in annivers. assumpt. sua: Omnes Christi regeneratos crucis signum efficit Reges; sancti vero Spiritus uniclo efficit sacerdotes. Igittur in Ecclesia, præcipue dum sacra mysteria celebrantur, nulla debet dari dicitio Cleri, & populi. Augetur primò hæc dubitandi ratio ex eo; nam olim in Ecclesia præmisœ p[ro]fallebant Clerus, & populus. Divus Basilius epst. 63. Domum orationis populus petit, & facta ad Deum confessione, tandem ab oratione urgente, ad psalmodiam instituuntur. Cujus com-

munis psalmodias utilitatem expresserunt Divus Augustinus in prolog. comment. in psalmos. Quid conjunctionem quandam personantis vocis efficiat, & diversum populum unuschori per concordiam consonam modulatione consociet. Quis enim non remittat ei, cum quo una ad Deum vocem emiserit? Magnum planè unitatis vinculum, in unum chororum totius numerum plebis coire. Divus Ambrosius prolog. in Psalmos: Quare psalmum Reges sine potestate supercilios resultant? Psalmus cantatur ab Imperatoribus, jubilatur à populis, mulieres in Ecclesia Apostolus tacere iubet; psalmum tamē bene clamant. Certant clamare singuli, quod singulis proficit. Venantius Fortunat. lib. 2. ad Cle[mentem] Parisiensis.

Hinc puer exquis adiemperat organa cantio: Inde senex largam ruetab ab ore tubam. Quamvis in Ecclesia Laodicena exitimet Baroniūs communem cantum sublatum fuisse in Concil. Laodic. can. 15. in illis verbis: Non oportet amplius prater eos, qui regulariter cantores existunt, & qui de codice canunt, alios in pulpitu[m] ascendere, & in Ecclesia p[ro]falle; eo quod impietia canentem harmonicum illum Ecclesiastica dignitati congruentem cantum incomposito vocum sono corumpere: Non fuisse tamen eum canone receptum in aliis Ecclesiis, tum ea quæ ex sancto Ambrofio restulimus, tum alia, quæ contra diffinos cantores Chrysostomus declamat, satis restantur, super Psalma cap. 8. Refert præterea Cyptianus in vita Cæsarii, voluisse eum, atque etiam compulisse laicos, & populares homines modulari voce instar Clericorum psalmos, & hymnos promere, alios græcè, alios latine proslas, & antiphonas decantare, ne illis spatiis luppiteret ad fabulas in Ecclesia effundendas. Igitur quia in uno choro intra cancellos consistebant clerici & laici. Augetur secundo hæc difficultas ex eo, nam laici sacrificio Missæ interessentes oblationem ad altare facere debebant, c. omnis 69. de conse. dist. 1. Concil. Matitton. 2. can. 4. ibi: Ut omnibus Dominis diebus altaris oblatio ab omnibus viris, & mulieribus offeratur, tampanis, quam vini. Ergo saltem ut p[ro]falle, & offere possint, debent laici simul cum clericis stare & sedere.

Quæ dubitandi ratione non obstante, vera est præfens assertio; pro cuius expositione sciendum est, quod sicut in templo Hierosolymitanis loco distincti erant Sacerdotes à populo, viri à mulieribus, atque à nuptis virginis, Josephus lib. 2. contra Apionem, ibi: Scilicet omnes, qui videre constructionem nostri templi, qualis fuerit, & intran[gress]issemus eius purificatione integratam; quatuor enim porticus habuit incircuui, & harum singula propria secundum legem habuere custodiam: in exterioremitaque ingredi licentia omnibus etiam alienigenis; mulieres tantummodum menstruante transire prohibebantur: in secunda vero portico sancti Iudei in grediebantur, & eorum conjuges, cùm essent ab omni pollutione mundi: in tercia masculi Iudeorum, mundi existentes, atque purificati. In quarta vero Sacerdotes stolas induti sacerdotalibus: in adiuvum vero soli Principes sacerdotum propriæ stolæ circumambulab[ant]. Origenes tract. 26. in Maturam, ibi: Venit ad nos quadam traditio talis, quasi sit aliquis locus in templo, ubi virginibus quidem consistere licet, & adorare Deum; experta autem thorum virilem non permettebantur in eo consistere. Philo de vita supplicum, Auctor

Tit. I. de Vita & Honest. Cleric.

5

Auctor Imperfectibomil. 74. in Mattheum: Beda in cap. 2. Luce, expendens quomodo B. Virgo in Christum duodenem amiserit: Baronius anno 57. ejus Epitomator num. 37. Cochier in fac. hist. cap. 28. Vicecomes volum. 3. lib. 2. cap. 30. In eodem fermè modo, & dispositione fuit in primis Chilianorum Ecclesie observatum; conveniebant enim fideles discreti ordine, plenarie religiosi & modellos tenuerunt. D. Augustinus lib. 2. de civitate Dei cap. 28. ibi: Constaunt ad Ecclesiastam causa celebriate, honesta utriusque sexus discretione, & gravitate, & disciplina, ut si eo veniant talium præceptorum irrisores, omnes eorum petulania, aut repentina immutatio deponatur, aut timore, vel pudore comprimantur. Observarunt Microl. in obser. Eccles. cap. 9. Amalarius lib. 3. de offic. cap. 2. Non solum enim viris, & feminas in Ecclesia non erat idem ingressus. D. Clemens, seu quis au-
tor est confit. Apost. lib. 2. cap. 61. ibi: Ma-
neant autem hosties ad introitus virorum, illos custo-
dient; Diaconisa ad introitus feminarum: illu-
stram Baronius d. anno 57. Lantidmester d. lib. 2.
cap. 60. verum nec simul constiebant in Eccle-
sia. D. Clemens d. lib. 2. cap. 61. ubi describens
Christianorum Ecclesiam ait: In medio sit Epis-
copi sedes, ad cuius virumque latus confideant Presby-
teri, & Diaconi assistent succincti, & expediti
hunc curam; taci in altera parte sedeant cum omni-
gue, & ordine: mulieres quoque separatae sedeant,
stolidum servantes. B. Cyrillus Hierosolym. prefat.
in catech. ubi Christianos erudiens ait: Hic tamen
separant viri, ni sunt cum viris; mulieres cum mu-
lleribus, ne stolidum salutis sit perditionis occasio. D.
Ambrofius ad virginem laps. cap. 6. Nonne vel
illum locum tabulis separatum, in quo in Ecclesia
stabas, recordari voluisti. Procop. de edif. Iustini
Imper. Sant'antem duas uirgines portavimus, quas fasti-
gata testudo. Eam uenusti: hanc una vi-
vorans, altera mulieres admisit. Latè probant
Vicecomes deritibus Missa lib. 2. c. 31. Coqueus
innotuad D. August. lib. 2. de civit. Dei, cap. 28.
Nec omnes viri confusè, & permixtum sacris
myleris interterant, verum separati: interio-
rem templi partem intra cancellos clerici oc-
cupabant, ubi preces stantes in modum coronæ
effundebant, ut de Romanis, Diis adorationis
obsequiis exhibentibus, probat Brisonius lib. 1.
de formula, pag. 41. quem standi diversum modum
ad amulsum exprimit D. Gregorius Nazianz. in
versibus in somnio de Anathal. termplo, quod
ipse Constantinopoli fixit.

Sede alta band alta considere mente vi-
debar;

Nam neque per somnum mente superbus eram.
Prebyterique graves sellis utrinque sedebant;
Demissi, etas lecta, ad vesque gregis.
Vestibus in niveis adstabat turba ministra
Splendorem reverens agmina angelici.
Ex quibus facile evincitur, Episcopi sedem su-
blimi elatam fastigio, cateris Clericorum pra-
eminentioriem sustinebat, postea vero Presbytero-
rum. Unde D. August. epist. 203. absides gra-
datus vocat sedes Episcoporum, quia ad illas
scilicet gradibus ascenderent. Concil. Carthag.
4. can. 35. Ut Episcopus in Ecclesia, & in confessis
presbyterorum sublimior sedeat; relatum in cap.
Episcopus 10. 95. diff. Concil. Trident. sess. 25.
cap. 6. & Sozomenus lib. 5. cap. 15. disertus est
testis. Hunc sedendi ordinem Julianus Apostata
D. D. Gonzal. in Decretal. Tom. III. Pars I.

in suorum Idolorum templis amulari conatus
est: plura Landmeter. de veteri clericis monarch.
lib. 2. cap. 60. Vicecomes de Antiquis Missaribus lib. 2. cap. 43. Severinus Binus tom. 1. Concil.
fol. 589. Baronius anno Christi 45. num. 11. Antonius Augustinus in epit. iur. Pontis lib. 4. tit. 1.
cap. 33. Aucunum ad Decret. dicto cap. Episcopus,
95. diff. noster Escobar de Pont. & Reg. cap. 24.
num. 91. ubi plures refert; & linteo tegi solitam
Episcopalem sedem, constat ex Pontio Diacono
in vita Sancti Cypriani, ibi: Sedile autem erat for-
tuinu[m] linteo tegula, ut & subjectum passionis Epis-
copatus honore frueretur. S. Pacianus epist. 2. ad
Simpronianum: Egone Apofolium, an Novatianus,
quem absentem epistola Episcopum finxit,
quem conseruantem nulla linteata fides accepit. Ex
codem etiam Nazianzeni loco aperte constat,
presbyteros, & inferiores clericos demissam se-
dem, ac humilem tenuisse.

Cæteri fideles laici, non minus mares, quam
feminae distinctioni sacris intererant, illi ad dex-
teram, que vergebant in leptontrionem, sive
in partem Aufkralem; haec ad lavam, que
ad Aquilonem, seu partem borealem specta-
bat. Philo Judæus lib. de vita contemplat. ibi:
Discubitus ita distribuitur, ut seorsim viri dex-
trum latus, seorsim femina sinistrum teneant.
Author veteris Ordinis Romani, ubi dum ri-
tum Evangelium legendi refert, ait: Ipse vero
Diaconus stat versus ad meridiem, ad quam par-
tem viri solent confluere; alias autem ad septentrio-
nem, &c. Et Amalatius Fortunatus, apud quem
scriptum est lib. 3. de ecclesiast. officiis, cap. 2.
Majestatibus in Australi parte, & feminae in Bo-
reali, us ostendatur, per fortiorum sexum firmiores
Sanctos semper constituti in majoribus tentationibus
astus bujusmodi; & per fragiliorem sexum infirmo-
res Santos apriori loco, sicut dicit Paulus Apo-
stolus, &c. Ab his vero non valde discrepat Micro-
logi author, qui de observationibus Ecclesiasti-
cis cap. 9. demonstrat, moris esse, ut Diaconi
sanctissimum Christi Evangelium recitatur, ad
meridiem, ubi etiam mare; non ad Aquilonem,
ubi dumtaxat feminae consistunt, ex Romani
Ordinis praescripto vergant: Diaconi (Micro-
logi verba sunt) cum legit Evangelium, iuxta Ro-
manum Ordinem in ambone vertiunt ad meridiem,
ubi & majestas converuntur; non ad Aquilonem, ubi
feminae consistunt. Et paulo post reprehendit con-
trarium confutudinem, qua obtinuerat ad Aqui-
lonem, qua propria feminarum erat, spectari:
utitur autem his plane verbis: Hinc utique illa
usurpat emeritile videtur, ut etiam Diacones in
ambone contra Romanum Ordinem se vertant ad
Aquilonem, potiusque se ad partem feminarum,
quam masculorum vertere non vereantur. Quae usur-
patio jam adeo inolevit, ut apud plerosque quasi
pro ordinete reatur. Sed quia certissime contra ordi-
nem est, & in honesta, à diligentioribus ordinis
servatoribus merito refutatur. Plura Teophilus
tom. 10. de sobria frequent. mulierum, fol. 291. Uni-
cuique etiam statui, & etati proprius locus as-
signatus erat, propriaque mansio, ut videre est
apud authorem libri de septem gradibus Ecclesia,
qui vulgo D. Hieronymo tribuitur. Penitentes,
& audiientes continebantur, in ferula scilicet, seu
auditorio, idest, investibulo, seu atrii, quibus
patebat ingressus ad Ecclesiam pro distinctione
gradus in quo erant, ut doctè illustravit D.
Joannes Antonius ab Otalora in tract. de irregul.

A 3

ex

In Librum III. Decretalium,

ex p̄nit. solenn. In altera mansione erant catechumeni competentes ; quæ mansio protractabatur usque ad ambones duos , seu pulpita, in quibus Epistolæ canonicae , & Evangelia cantabantur ; docent Balsamon in can. 12. *Synodi Nicen.* Ab ambonibus verius Altare erat mansio fidelium , quam congregationem , seu confitentiam vocabant ; & illæ mansiones dicebantur stationes secundi ordinis , ubi populus stabar , Concil. Turon. 2. can. 3. quia in statione primi chori clericci erant , cap. nonnulli . 93. dist. hanc etiam divisionem mansionum notant D. Basilius ep̄st. ad Amphibol. cap. 56. Et ita propriè catechumeni fideles , & clericci erant intra Ecclesiam ; penitentes , & audientes extra : nec eam porticus , & vestibula Ecclesiæ censebantur ; quia in his Gentiles , & Pagani stabant , ut ait D. Hieronymus ep̄st. 17. ad Marcellam : Atrium autem , inquit , quod est foris , templum nec metiaris , quoniam datum est Gentibus. Statio quidem catechumenorum , Ecclesia pars erat , ut docet Balsamon in dicto can. 12. *Synodi Nicen.* Baronius in apparatu num. 51. & 52. & anno 1. num. 54. & anno 12. num. 3. & 34. num. 288. & anno 57. num. 123. quatinus & aliquandiu dubitatum , an pars illa , quæ substratio dicebatur , in qua erant catechumeni , Ecclesia adscribetur , ut idem notat ad can. 99. sexta Synod. Virgines denique à non virginibus fusile loco ceras , habemus ex Origene tract. 27. in Mathæum , ex Ambroso cap. 6. ad virgin. lass. & Nazianzeno supra relatis ; quam secreteionem usurpatam fusile in veteri Testamento liquet ex Gregorio Nysseno erat. de Christi nativitate. Probant Vicecomes d. lib. 2. de Missieribus , cap. 43. Ambianas ad Tertial. de velandis Virg. cap. 30. obseru. 1. pueri verò erant prope suggestum , ante sacrarium , ut liquet ex Joanne Molco in prato spirit. cap. 196. qui narrans puerorum insignis facinus , qui distributis in se sacrae liturgia munis , ut sacerdotem ministrante imitarentur , ait : Supra saxum in morem altaris apponunt panem , & vas testuum cum vino , affixaque unius quidem coram altari , qui fungebatur officio presbyteri mediis , duo verò alii hinc atque hinc , veluti ministri ; & ille quidem sanctæ oblationis verba dicebat ; illi verò fastioli , qui forebantur , pro flabellis utentes , auram faciebant ; qui verò presbyteri fungebatur officio ideo sanctæ oblationis verba sciebat , qui coniunctudo fuit in Ecclesia , ut pueri in Missis ante sacrarium assisterent , primique cum clericis communicarent . Quam mansionum diversitatem eleganter expressit D. Petrus oratione illa , quâ D. Clement. successorem designavit , qua referunt ep̄st. 1. D. Clementis ad Jacobum , ubi status omnis Ecclesiæ comparatur magnæ navi per mare turbulentum veclæ , cuius Dominus , ipse fit Deus Pater ; gubernator Christus ; protore Pontifices ; nautæ Presbyteri ; dispensatores Diaconi ; nautologi Catechistæ ; epibate , idest , vectores , vel qui vehuntur , tota reliqua multitudine laicorum , de quibus quidem laicus loquitur illuc D. Petrus. Ante omnia cum quiete , & silentio vectores (id est laici) in suis unusquisque resideant locis , ne forte per inquietudinem , & inconditos , inutilisque discursus , si passim vagari cœperint , vel ab officio suo nautas impediunt , vel in alterum latus per inquietudinem eorum navis pressa demerguntur . Nec tantum ut liberè , quieteque clericci possint ministrare , debent seorsim à populo

consistere , & laicos præcedere , verum ob dignitatis præstantiam , quâ fulgent ; ut latè illustrat Cabereros de meta lib. 2. cap. 16. Cresolius lib. 1. myſtag. cap. 2. & 3. P. Bollo lib. 1. Deconom. claf. 1. quod etiam in suis sacrificiis ethnici observarunt in actionibusque secularibus . Unde in theatro Romano distincti erant gradus pro qualitate personarum , quos post Liphium de amphitheatr. refert D. Josephus de Retes lib. 1. opus. c. 23. Rectè ergo in praefenti statuerunt laicos non debere stare intra cancellos cum clericis , sed seorsim extra chorum . Et cum hodie in aliquibus Provinciis , quod tertius est , exclusi sacerdos personis propudiōs locum earum occupant laici , & prophani , meritò dixeris cum Nazianz. carm. ad Ep̄scopos , num. 6.

Hanc , quæ Doctorum sedes erat ante vivorum ,

Et gravissim pietate hominum , viteque probata;

Hos quoque qui mundos dirimunt (quorum effluit unus ,

Alter ac usque viget , stabilisque in scula durat)

Divesque , atque homines dicludunt limite certo

Cancellos : tali nimiram erat hic locus olim :

At nunc ridiculus , contrà discrimine nullus .

Cum quisque hand clausis irruerit ad intima portas ;

Et mibi iam medio in coem , ingentique corona ,

Stans præto hac alta videatur dicere voce :

Huc agite , ô quosunque juvat turpissima vita !

Nec potest cuiquam suffragari prærogativa Magistrorum , quâ fungitur ; nam talis prærogativa nullus est usus intra templum ; quia quis Magistratus in templo habetur ut privatus . Quod Julianus Apostata ad sacerorum ritorum in Gallicia Pontificem Arlacium scribens , ipse idolomanus Pontifex Maximus edixit , apud Nicēphorūm cap. 22. Ejus verbis procaciam quorundam , qui te Catholicos dicunt , placet contundere : Provincie Rectoribus in urbem advenientibus nullus sacerdotum obviam eat ; sed cùm in Deorum templis ingredientur , intra vestibulum saltum occurrat . Né quis autem miles eos adem sacram ingredientes præcedat , sequatur tamen qui volet . Quamprimum enim Magistratus solum delubri anterit , privatus redditur . Tu sequidem quod nosti , intra templum imperium obvies . Atque id divine agitant sanctiones , quibus qui parent , veri Deorum sunt cultores ; qui verò fastu effervescunt , sunt insontes jactantia , & vanæ gloria accipitores .

Nec obstat dubitatus ratio suprà expensam ¹²⁴ nam ut idem Tertullianus ait , differentiam inter clerum , & plebem constituit Ecclesiæ autoritas , nec laici olim sacerdotes dicebantur , quia aliqua munia in Missæ sacrificio olim obirent , sed propter sacerdotium internum , & spirituale , quo omnis Christianus animam & corpus Deo offert per spirituale sacrificium bonorum operum , de quo sacerdotio intelligentius est D. Hieronymus in c. multi 12. 40. dñf. ubi ait : Non omnis sacerdos sanctus ; sed omnis sanctus sacerdos . Nec obstat primum augmentum difficultatis ; nam licet verum sit primis Ecclesiæ seculis fideles latīcos magna devotionis zelo accensos , etiam psalmos in Ecclesiæ publicè decantasse , non tamē in codem

Tit. I. de vita & Honest. Cleric.

7

eodem loco consistebant ac clerici, sed in secunda statione, ut supra retuli: quare licet certum sit, eos psalmorum modulationi intendere, non tam in eodem loco, sed procul diverso. Nec obstat secundum difficultatis augmentum; nam in antiquis Ecclesiae canonibus legitur, oblationem fieri ad altare, non qui laici ipsi immediate ibi munera offerent, sed quia Diaconus oblatia ab eis recipiens ad altare deferbat, cap. perfectus 125. dif. ibi: *Diaconi est, oblationes inferre, & diffonere in altari. Unde laici nec oblationis causâ ad altare accedebant, ut docet Landmeter. lib. 2. de veteri mon. cap. 40.*

Aduie tamen supra traditis obstat videtur textus in can. 69. Synodi 6. in Trut. ibi: *Nulli omnino licet, qui quidem sit in laicorum numero, intra sacrum altare ingredi: ab eo tamen nequaquam habibit potestate, & auctoritate Imp. quando quidem vulnera Creatori dona offerre, ex antiquissima traditione. Ex quibus verbis aperte constat, Imperatoribus etiam laicos licere intra cancellos in sacrario sedere, immo propriam manu in altari offere. Ergo non recte generaliter, & indistincte in praei doceatur, laicos intra cancellos stare, aut sedere non posse. Pro cuius canonis expositione sciendum est, neque Imperatori quidem olim licuisse cancellos ingredi, aut in sacrario sedere inter clericos, ut fatus liquet ex pluribus exemplis, quibus historia Ecclesiastica abundat; apud Sozomenum lib. 5. hist. cap. 15. & lib. 7. c. 24. Theodoretum lib. 5. cap. 17. Unde Constantinus Imperator in Concilio Niceno eò erga eius Parcs obsequio se gessit, ut jus sedendi ab ipsis expoliceret, quod non aliter fuit usus, quam Episcopi congregati destinatas sedes occuparent, ut referunt Eusebius lib. 2. de vita Constant. cap. 10. Theodoretus lib. 1. cap. 7. Socrates lib. 1. cap. 5. ex eis Christ. Lups ad eund. can. cui pietati misere congruit alia non satis extollenda Magni nostri Monarchæ, qui in suo Sacello Regio diebus Purificationis, Cinerum, & Dominicæ Palmarum semper præcedere jubet omnes clericos, & Capella ministris in assumptione Cereorum, Cinerum, & Palmarum, ut referunt Turturetus in Sacello Regio, cap. 6. fol. 100. D. Didacus de Guzman in vita Regina Margarit. cap. 19. Sed eò pèvenit Gregorum Imperatorum superbia, ut cancellos Ecclesie penetrarent, & cum presbyteris sedere, ac offere ambient. Gtegorius Nazianz. orat. 20. ubi de Valente ait: *Cum quidem ille nefio quomodo rursus nobiscum in Ecclesiam se contulisset, & intra velum exitisset. Nec eorum ambitio hic stetebat, sed plura etiam Episcopalia munera usurabant, ut referunt Filefacus in cap. 7. de off. ordin. Robertus lib. 3. rer. indic. cap. 1. Albaipinus lib. 1. obser. cap. 23. immo & titulo Sancti salutabantur, teste Balsamone in can. 4. & 12. Concil. Nican. 2. & de hac prærogativa sedendi intra cancellos plura ex ingenio sibi comminiscuntur Balsam & Zonaras in d. can. 69. Iste afferit: *Quia laicus est Imperator, illi ad sacrum altare non lucere ingredi, sed propter eam, quod præditus est, suprema potestitia amplitudinem, id ei perveniens antiquorum Patrum exemplo concessum fuisse. Ille afferit: Hoc Imperatori licere, quia Graci Imperatores cum sancta Trinitate invocatione oleo uncti sunt. Unde non tantum quando sum Deo munera oblati, sed quando cunq[ue] voluerint, sine ullo impedimentoo in sacra templi adyta ingredi, & suffire, & cum triplici cereo square, quemadmodum & Pontificibus, eis licere.***

Non nemo id ad adulatio[n]em Græcam retulit; res tamen ita se habuit. Cum ita crebrescente auctoritatem assentatione, omnia sibi, ob dignitatis excellentiam licere Imperatores opinarentur, inverso rerum ecclesiasticarum ordine in adyta quoque pro libidine ingrediebantur; & cum sacra peragebantur, sedebant. Ambrosius insolentiam moderatus est, & locum Imperatoribus ante cancellios bennatos assignavit; ut sic propter Imperii maiestatem Imperator, cum primus in ordine sederer, populum; Sacerdotes, qui in sacris penitralibus locum habebant, Imperatorem antecederent: idque approbatum à Theodosio, & corroboratum à successoribus, ad sua, Theodosii nempe Junioris tempora conservatum tradidit Sozomenus hist. Eccles. lib. 7. cap. 24. Moris erat, ut Imperatores, dum sacra interessent, in sacrario sedenter, majestatis ergo à populi confortio separati. Ambrosius autem considerans eam consuetudinem, vel ex assentatione, vel ex ordinis iniuria esse natam, Imperatori in Ecclesia locum assignavit ante sacrarii cancellos, ita ut populares Imperator, Imperatorem Sacerdotes ordine sedis antecederent. Hanc astrem optimam constitutam Theodosius Imperator approbavit, & successores eius corroboraverunt, ac nos eam ex eo usque tempore conservatam cernimus. Nicephorus quoque Callixtus hisbor. Eccles. lib. 12. cap. 41. sententiam Sozomeni clarioribus etiam verbis cœlulit, in illis: *Postquam vero tempus advenit, quum cum, more recepto manus ad sacram mensam afferre oporteret, lacrymans surrexit, & divinum sacrarium ingressus est, & dono ex consuetudine oblatu, intra sacros cancellos permanuit in sanctiori sacerdotum loco, ubi antiquitas Imperatores confitentes mos non erat, propter dignitatis sublimitatem à plebe segregatos. Quam rem quid Ambrosius adulatio[n]is magis, quam ordinis rebus esse putabat, Imperiali queque statutionis locum ita ut par erat, in ordinem suum redigit, pro tabulatis, seu cancellis sacrarii sede illi designata, ut Imperator honorariorem quidem pro populo statu[m] haberet, præ illo autem Sacerdotes locum sublimiore obtinuerent. Eum ordinem, ut opimum Theodosius tam laudauit, postero quoque confirmarunt, qui inde ad hanc usque tempore servauit. Ego vero semel annuo tempore nostra etatis, Dei amantissimos Principes, magni Sabbathi die sacra adiuta maximi Dei Sapientia templi ingredi vidi, cum sub crucis forma in sacra mensa nova adolerent aromata, & dona ei inferrent. Subditque intrâ eundem Theodosium præcripta sibi ab Ambrosio diligenter servasse. Cum enim Byzantii die festo divinam ingressus ædem, dona mensæ mysticæ intulisset, statim retrocedens exiit. Neptario factum agre ferente, & causat inquietante, respondit, scilicet quod inter Imperatorem, & sacerdotum Antistitem discrimen sit, agnoscere, & vix tandem veritatis Doctorem, & dignum Episcopali dignitate Ambrosium invenisse. Refert Theophilus tom. 15. in heteroc. spirit. p. 1. punct. 4. fol. 129. Joannes Cabassutius in notis Concil. in d. can. 69. Synodi 6. Nec tacuit odous Junior in aliis Conciliis Ephesini. Non quid, qui legimus Imperii armis semper circumsumus, quoque sine armatis, & stipulatoribus esse non convenit, Dei templum ingressuri, foris arma relinqui mus, & ipsum etiam diadema, Regis Majestatis insigne, depanimus, & sacra altaria majorana tantum offerendorum causa accedimus, quibus quoque oblatis ad extimura, communique atrium mox nos recipimus. Juxta illum veterem morem, seu potius impro-*

In Librum III. Decretalium,

improbum usum accipiens est textus *in dicto can. 69.* Posterioribus autem saeculis in Concilio Aquensi celebrato anno 1586. de laicis nobilibus ita cautum fuit: *Laici vero nobilitores, & qui vel Christianissimi Regis Consiliarii, & Officiales, aut ex Militaribus Ordinibus, aut communitatibus Magistris fuerint, poterunt intra chorum admissi; ita tamen ut post clericos sedeant, nec inter clericos ipsos ipsis sedere licet.* Refert Coriolanus *in addit. ad summam*, fol. 158. quod de Ducibus & Comitis aliquando locum indebitum usurpantibus probat Alteilla de *Ducibus lib. 1. cap. 17.* eti debitus honor illis servandus sit, juxta Concil. Wormat. *can. 58. ibi: Ut Episcopi provideant quenam honorem presbyteri senioribus tribuant.* Trofian. *can. 6.* Presbyteris vestris humilitatis exempla, & monita dare debemus, videlicet ut eis, in quorum ditione sua consenserit Ecclesia, congruum honorem & obsequium impendamus debitus, id est, spirituale, atque ecclesiasticum; & hoc sine alio typlo, vel contentione, aut rebellione.

^{14.} *De monachis.* Supereft tantum, ut de Monachis agamus, qui primis Ecclesiæ saeculis sacris Ordinibus non initiantur, *cap. Monach. cap. adiutorius 16. 9. 1.* unde non incongrue ambigitur, an inter clericos, an vero cum laicis in Ecclesia consistent? Et quia monachi laicorum statui plene adscripti non erant, sed medio inter hos, & clericos gradu potiebant, fateri necesse est, distinctum, diversumque locum monachos in Ecclesia tenuisse, extra chorum videlicet, sed propè cancellos; quod facile probatur ex B. Dionysio Areopag. qui epist. ad Demophilum, partem templi patuisse refert plebi sanctæ, aliam Terapeutis, tertiam

Clero: & cap. 7. de hierarch. Eccles. ait: *Hic qui monachi sunt ordinati, adytorum porta segregata sunt, iuxta quam initiantur, & adstant non ad custodiā, sed ut ordinem recognoscant suum, sintque ipso populo propinquiores Sacerdotibus.* Deinde sanctus Basilis Magnus homilia 2. de laudibus jejuni, ita scribit: *Lejunantem inter sacrorum cancellos recipit Dominus, at luxa, crapulaque plenum, veluti prophanum, & à sacris alienum nequam admittit.* Ubi, sicut non est dubium, quin cancellorum nomine intelligat sanctum non eos, qui choro propriis clericorum stationi circundati erant, sed quibus proximus choro locus à reliquis se-jungebatur; ita jejunantis vox apud eundem non quilibet jejunio corpus macerantem significat, sed eum, qui monasticam vitam professus est. Gregorius Nazianz. orat. 32. ubi de singulorum, qui concionanti & sacrificanti aderant, locis, & ordinibus verba faciens, ita scripit: *Vale Catredra, invidiosum hoc, & peritulosum fastigium Pontificum, concilium Sacerdotiorum, non minus majestate, quam etate oratorum, & quicunque tandem alii circa sacrosanctam mensam ministriatis, atque ad appropinquantem Deum appropinquatis, vult Nazarorum chori, virginum sanctimonio, mulierum modestia.* Ubi pro Nazarais monachos accipi probat Vicecomes volum, 3. lib. 2. cap. 38. & ita dum Gregorius prius de clericis, postea de monachis, tandem de laicis agit, aperit demonstrat, monachos in diverso loco clericis immediato sedisse; quod & docent Lemaître in *constitutione Sorbon. I. p. cap. 2. & de monachis lib. 1. cap. fin. in principio.* contra Hallierum Cellotius de hierarch. lib. 7. cap. 1. per tot. Franciscus Hallier, in *vindictis lib. 4. c. 1.*

CAPUT II.

Ex Concilio (a) Pictaviensi.

Clerici arma portantes, vel (b) usurarii, excommunicentur.

NOTÆ.

1. (a) *Pictaviensi.] Can. ult. juxta editionem Baronii anno 1100. num. 19.* Coriolani in *summa* fol. 490. *De hoc Concilio & causa illius congregations nonnulla notavi in cap. 1. de ateate & qualitate.* Etiam reperitur textus hic in *cap. 2. hoc tit. in 1. collect.*

2. (b) *Vel usurarii.] Ita legitur in dictis editiōnibus Baronii, & Coriolani, & in Regia tom. 14. Conciliorum:* unde necesse non est cum repetentibus in præteri conjunctivam accipere pro disjunctiva; sapienter enim brevitas causâ Patres hujus Concilii diversa sub uno canone statuerunt, ut notavi in *cap. 1. de filiis Presb.* & ita quia parem pecuniam imponebant clericis usurariis, vel ipsis arma portantibus, id est eos tam armatos, quam usurarios in hoc canone coniungerunt. De clericis usurariis agemus (si Deus viram, otiumque dederit) in *cap. 1. de usurariis*, in præsenti tantum de deferentibus arma videamus.

COMMENTARIUM.

3. *Ex hoc canone sequens communiter deducitur assertio: Clerici arma deferre non de-*

bent, alias deponuntur. Probant eam Concil. Tolitan. *can. 44.* sub Honorio I. celebratum: *Clerici qui in quacunque seditione arma volentes sumpserint, aut sumplerent, reperti, amissi ordinis fugiandu, in monasterio contradicunt perennius punitio.* Item Concil. Francicum celebratum sub Carolo Magno Principe, presidente Legato Sedis Apostolice Bonifacio Moguntinensi Archiepiscopo; Servi Dei per omnia omnibus armaturam portare, vel pugnare, aut in exercitum, & in hostem pergere omnino prohibemus, nisi illis tantummodo; qui propter divinum ministerium, Missarum scilicet solemnia adimplenda, & Sanctorum patrocinia portanda, ad hoc leti sunt; id est, unus, vel duos Episcopos cum Capellaniis suis Principes secum habeat. Idem antea statuerat scribens ad eundem Bonifacium Zacharias I. epist. 8. & 9. Idem & Carolus Magnus in *constitutionibus suis*: idem omnino & Concil. Metense *cap. 10.* sub Arnulpho, & Concil. Bitterense *can. 14.* Concil. Moguntin. *4. can. 74.* Nos, qui reliquum seculum, id modis omnibus observare volumus, ut armis ritusalia habeamus, corporalia dimittamus. Concilium Wormatiense sub Pipino, *can. 16.* Ut arma clericorum non portent. Claromontanum sub Urbano II. *can. 4.* Ne aliquis clericus arma deferat. Ravennat. tempore